

tionis habent; et ius divitis tam strictum est quam pauperis, cum iustitia commutativa ad personas non attendat. — S. Lig. n. 691. — Lugo, d. 20. n. 161., etc.

QUAER. 4<sup>o</sup> *An praeferendi sint creditores tempore priores posterioribus?*

*Resp. Neg. probabilius*, quia lex nullam praelationem inter haec credita assignat; ex iure autem naturali omnes creditores sunt aequales, cum singuli dumtaxat in debitoris personam, quae sola aequae singulis obligata est, non autem in huius bona ius habeant. Si enim essent obligata bona debitoris, creditores eorum dominium iam haberent, nec debitor ea vendere posset, quod falsum est. — Vogler, n. 439. — Lessius. — Carrière, *de Contr.* n. 391. (10).

*Affirmant tamen plures*, quia (aiunt) prior tempore debet esse potior etiam iure. — Ita Lugo, Salmant.; et hoc dicit probabilius S. Lig. n. 690., licet priorem sententiam ut *probabilem* habeat.

707. — QAER. 5<sup>o</sup> *An creditores certi incertis, seu incognitis, sint a debitore anteponendi?*

*Resp. Affirm. probabilius*, si creditor incertus inveniri nequeat. Ratio est, quia creditor ille incertus non censetur *rationabiliter invitus*, cum debitum suum recuperare nequeat. Aliunde durum foret denegare debitori facultatem liberandi se a creditore, a quo persequendus saepe foret, ut pauperibus obviis, creditorem incognitum repraesentantibus, restituat.

Saltem creditores certi licite incertis anteponi possunt. — *Ita communiter*. — Lugo, d. 20. n. 2. — Antoine. — Vogler, contra Billuart.

QUAER. 6<sup>o</sup> *An prius petenti liceat prius solvere, etiamsi tempore posterior sit?*

*Resp. 1<sup>o</sup> Affirm.*, si iuridice petat, quia legitima iudicis sententia vim privilegii creditori confert. — *Ita omnes*. — S. Lig. n. 692. — Vogler, n. 444.

*Resp. 2<sup>o</sup> Affirm. probabilius* etiam si petat extra iudicium; quia actionem personalem in debitorem habet, et totum debitum petendo, ius suum prosequitur. — S. Lig. n. 692. (*ut probabilius*). — Billuart. — Lessius. — Salmant., etc. contra Lugo. — Carrière.

(10) Carrière dixit, hodie ita sentire plerosque theologos. Verum quinam sint hodierni isti theologos, in quorum obsequium probabilior habemus primam hanc opinionem, plane ignoramus. Quid quid sit, concedit tamen, probabilem esse et secundam sententiam, sicut et S. Alphonsus, qui secundam censet probabilio-

rem, concedit primam esse probabilem. Exinde sive posterior creditor quidpiam pro rata acceperit, et sic antiquiori aequiparatus fuerit, sive antiquior totum sibi debitum ita acceperit, ut posteriori pro rata solvi non possit, neuter a Confessario cogi ad restitutionem poterit.

QUAER. 7<sup>o</sup> *Utrum debitor, sciens suum statum labilem, etiam non petenti integre satisfacere possit?*

*Resp. Neg.*, quia cum omnes creditores sint iure aequales, nec ullus inter illos ius suum prosequatur, et proinde per diligentiam nemo potior in petendo evadat, postulat aequitas naturalis, ne alicui integra restitutio fiat cum aliorum praesudicio. — S. Lig. n. 692. — Lessius, et alii communiter.

QUAER. 8<sup>o</sup> *An creditor, qui in hoc casu solutionem accepit, ad restitutionem erga alios creditores teneatur?*

*Resp. Controvertitur?* I<sup>a</sup> SENTENTIA *affirmat*, quia nullum ius habet, ut sibi integre solvatur cum aliorum detrimento. — S. Lig. *ibid.* — Salmant.,

II<sup>a</sup> SENTENTIA *negat*, quia ex dictis *probabiliter* creditor ius *personale* habens, nemini facit iniuriam solutionem debiti etiam extra iudicium urgendo; ergo neque acceptando, cum ius exigendi habeat (11). — Lessius et alii apud Lacroix. Excipe tamen casus, in quibus talis solutio invalida per legem declaratur.

#### ARTICULUS IV. — QUOMODO SIT RESTITUENDUM?

708. — Generatim dici potest, requiri et sufficere, ut restitutio eo modo fiat, quo iustitia violata plene seu ad aequalitatem reparatur, et sic dominus laesus indemnus fiat.

Hinc 1<sup>o</sup> non est necessarium *per se*, ut restitutio palam fiat; imo saepe eo modo fieri nequit, quando famae quoque et honori restituentis consulendum est.

2<sup>o</sup> Non est necessarium, ut restitutio fiat per ipsum debitorem sed fieri per alium potest, modo res domino reddatur. Potest aliquando fieri per Confessarium; magna tamen cautela tunc opus est, tum ut sigillum confessionis illaesum remaneat, tum ut poenitens resciat, creditori reipsa satisfactum fuisse, ne ulla suspicio contra Confessarii probitatem suboriri queat.

3<sup>o</sup> Non est necessarium, ut restitutio fiat advertente domino; quia hoc non requiritur, ut hic sit indemnus. Unde debitor restituere potest, v. gr. augendo pondus vel mensuram in vendendo, aut debitum opus in laborando, et sexcentis aliis modis.

709. **Quaesita.** — QAER. 1<sup>o</sup> *An valeat restitutio facta per simulatam donationem?*

*Resp. Affirm.*, saltem *probabilius*. Ratio est, quia ad solutionem non

(11) Huic sententiae adstipulantur leges civiles, quod *solutum non revocetur*. Vid. S. Alph. (lib. 3. n. 693.), et Lugo (*De Iust. disp. 20. n. 179.*)

requiritur, ut debitor externe fateatur, se solvere. Hinc satisfacit debitor, quoties solvit etiam in iis circumstantiis, in quibus creditor existimat sibi fieri donum. — *Ita communis.* — Vogler, n. 534. — Carrière, n. 1265. etc., contra Billuart.

QUAER. 2<sup>o</sup> *An si creditor gratitudine motus aliud donum illi rependat, hoc ei restituendum sit?*

*Resp. Affirm.* Ratio est, quia donatio ista non videtur plene voluntaria et spontanea, prout esse debet essentialiter donatio mere gratuita; procedit enim ex opinione obligationis antidotalis seu gratitudinis, quae falso nititur fundamento. — *Ita Carrière, ibid., contra Tamb., etc.*

QUAER. 3<sup>o</sup> *Quo loco, et cuiusnam expensis facienda sit restitutio?*

*Resp. 1<sup>o</sup>* Si obligatio restituendi sit ex re bona fide accepta et retenta, restitutio non necessario facienda est in alio loco, quam in quo nunc res existit; nec huiusmodi debitor in alium locum, ubi iam dominus forte degit, rem transmittere tenetur. Ratio est, quia non tenetur dominum in statum pristinum restituere, ex quo illum non deiecit per formalem iniuriam.

*Resp. 2<sup>o</sup>* Si obligatio restituendi orta sit ex delicto, restitutio facienda est in loco, in quo dominus rem esset possessurus, si ablata non fuisset, idque debitoris sumptibus. Ratio est, quia creditor debet indemnitas servari, et nullum ex iniquitate debitoris damnum pati, sed in statum pristinum restitui. — S. Lig. n. 677.

*Resp. 3<sup>o</sup>* Si res ex contractu solvi debeat, standum est clausulis contractui appositis, si de loco et modo translationis fuerit conventum. Quando autem nulla de his conventio facta est, ad leges speciales pro contractuum diversitate attendendum est.

710. — *QUAER. 4<sup>o</sup> An debitor ex delicto etiam expensas solvere debeat pro re domino remittenda, si illae expensae valorem rei ipsius superent?*

*Resp. 1<sup>o</sup> Affirm.,* si excessus non sit valde notabilis, quia et debitor, committendo iniustitiam, tale onus in se suscepit, et dominus non tenetur rei suae iacturam pati. — *Ita communiter.* — Lugo, d. 20. n. 190.

*Resp. 2<sup>o</sup> Neg.* autem *probabilius,* si istae expensae essent maximae respectu valoris rei remittendae. Tunc autem ex praesumpta creditoris voluntate restitutio pauperibus facienda esset. Recta enim ratio et charitas dictant, creditorem non posse exigere, ut sibi fiat restitutio cum quibuscumque expensis. — *Ita Vogler, n. 415. — Lugo, n. 185. — Billuart, diss. 8. art. 16. — S. Lig. n. 598., ubi dicit, hanc esse sententiam communissimam.*

Quanta autem esse debeat iactura debitoris, ut a restitutione ipsi domino facienda excusari possit, non conveniunt theologi. Hanc regulam

sat communiter tradunt: Quando omnibus pensatis, damnum, quod debitor patietur, damnum creditoris tantum duplo superat, non est sufficiens ut dominus re sua privetur. Si verò hanc proportionem superet, sufficit ut restitutio saltem differatur. Sed pro variis circumstantiis haec regula modificanda est. — *Ita Lugo, d. 20. n. 190. — S. Lig. n. 598., etc.* Hodie vero haec controversia vix locum habere potest propter facilitatem res vel pecuniam alio transferendi.

711. — *QUAER. 5<sup>o</sup> An debitor iterum restituere debeat, si debitum per personam fidelem miserit, et illud casu vel culpa tertii pereat?*

*Resp. 1<sup>o</sup>* Debitor ex possessione bonae fidei ad nihil tenetur; quia seclusa culpa et pacto, res perit domino, qui est ipse creditor. Teneretur tamen post iudicis sententiam, si culpa iuridica intercessisset.

*Resp. 2<sup>o</sup>* Debitor ex contractu ad nihil tenetur, si agatur de re alterius existente in natura, accepta in commodatum vel depositum, etc., quia res perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus, si agatur de re in genere debita; quia debitor dominium in illud servat, donec ad creditorem pervenerit, et respondere debet de casibus pretii vel rei transmissae, usquedum in manus eiusdem tradatur.

*Resp. 3<sup>o</sup>* Debitor ex delicto a restitutione non liberatur, et tamdiu ad illam obstrictus manet, quamdiu dominum vere indemnem non effecerit; quia semper remanet culpabilis causa damni, quod hic patitur. — S. Lig. n. 704., ubi tamen non audet damnare excusantes huiusmodi debitorem, qui per confessarium rem debitam remisit.

Excipe casum triplicem, in quo ab omni onere debitor eximitur, nempe 1<sup>o</sup> si dominus designaverit personam, per quam sibi rem debitam mitti velit; 2<sup>o</sup> si creditor personam quidem non elegerit, sed debitori reliquerit libertatem eligendi quam vellet, modo prudens et fidelis eligatur; 3<sup>o</sup> si persona haec arbitrio iudicis designata fuerit.

712. — *QUAER. 6<sup>o</sup> Quomodo restituendum pro damnis reipublicae illatis?*

*Resp.* Restituendum est per media ab ipso Gubernio constituta, si huiusmodi media existant. Attende igitur ad varias locorum leges. Si vero talia media constituta non fuerint, alii dicunt restituendum esse per tributorum praepositos, alii vero tenent obligationi iustitiae satisfieri, si pauperibus restituatur. — *Vide Carrière, n. 1240. ubi nullum dicit existere modum legalem in Gallia, quo huiusmodi restitutiones fiant. — V. Casus, n. 707.*

#### ARTICULUS V. — QUANDO SIT RESTITUENDUM?

712. — I. Quoad debita quaelibet, generatim restituendum est quamprimum fieri potest sine gravi incommodo. Ius enim naturale exigit, ut rem alienam, invito rationabiliter domino, non retineas.

Hinc 1<sup>o</sup> qui culpabiliter differt restitutionem (12), manet in peccato continuo, et absolvi nequit. Insuper si ex dilatione restitutionis damna domino obveniant, ea compensare tenetur.

2<sup>o</sup> Si quis habens propositum restituendi, aliquo tempore differat citra grave domini incommodum, non facile damnandus est de peccato mortali, imo nec de veniali, si aliqua sit causa differendi, v. gr. spes occasionis commodioris, etc... — S. Lig. *Hom. apost.* n. 104. 105.

3<sup>o</sup> Qui vellet restituere per partes, cum facile possit totum restituere, non esset absolvendus (13); quia dominus etiam in hoc est rationabiliter invitus. Idem dicendum de eo, qui cum per vitae decursum possit restituere, differt tamen usque ad mortem; vel qui in periculo mortis constitutus reiiceret absque ratione sufficienti obligationem restituendi in heredes suos; nisi forte de restitutione bonorum incertorum agatur. — *Hom. apost. ibid.*

II. Quoad debita *ex iniuria*: — compensanda sunt damna omnia, quae ex dilatione secuta sunt, etiam quando mora fuit inculpabilis. — *Hom. apost. ibid.*

Utrum autem debeant compensari etiam damna extraordinaria, seu quae non necessario sequuntur ex dilatione restitutionis, *controvertitur*. — *Probabiliter* negandum videtur, quia haec damna praevideri non potuerunt, nec proinde imputari possunt. — Vogler, n. 426. — Lugo, etc.

714. — III. Quoad debita *ex contractu*, generatim standum est conditionibus contractui apposis circa tempus, vel circa alias circumstantias; nisi prudenter praesumatur, aliam esse alterius contrahentis voluntatem.

Hinc 1<sup>o</sup> restitutio, seu potius solutio fieri debet tempore, de quo expresse vel tacite conventum est.

2<sup>o</sup> Debitor anticipare potest, si terminus solutioni assignatus sit in eius favorem, ut ordinarie fieri solet; secus vero, si idem terminus in creditoris utilitatem vergat, ut v. gr. in praestatione pecuniae cum lucro percipiendo.

3<sup>o</sup> Si terminus non sit fixus, ex plurium sententia debitor absque peccato saltem gravi expectare potest generatim, donec moneatur a creditore, nisi tamen hic inde damnum capiat, vel ex timore monere non audeat, vel ex oblivione aut impotentia monitionem omittat.

4<sup>o</sup> Si debitor habeat iustam causam differendi, non tenetur ad compensandum damnum ex dilatione proveniens. — *Ita communiter*, cum S. Ligorio n. 680.

(12) Adde, et *notabiliter*, ut dein A. explicat, et *si agatur de materia gravi*.

(13) Intellige, quando sit materia gravis.

QUAER. *An qui distulit restitutionem ex iusta causa, teneatur compensare lucrum cessans vel damnum emergens?*

*Resp.* Tenetur, quando debitum provenit *ex delicto*; quia licet non peccaverit restitutionem differendo ex iusta causa, attamen ex praecedenti laesione est vere causa iniusta et culpabilis illius damni, si tunc sufficienter praevisionem fuit (14). — *Ita communiter*, cum S. Lig. n. 680. et 704. contra alios. — Si vero debitum *ex contractu* proveniat, non tenetur; quia tunc debitor non est causa iniusta et culpabilis illius damni, cum in mora culpabili minime supponatur, adeoque non apparet, quo titulo ad id teneatur. — S. Lig. *ibid.*, et *alii communius*. — V. *Casus*, n. 704.

## CAPUT IV.

## DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS

715. — I. *Excusant ad tempus* 1<sup>o</sup> *impotentia physica*, seu omnimoda impossibilitas, quae habetur in necessitate extrema; imo etiam in necessitate valde gravi sive debitoris ipsius sive suorum, id est uxoris et proximorum consanguineorum; 2<sup>o</sup> *impotentia moralis*, seu gravis difficultas restituendi, quando nempe restitutio fieri nequeat absque gravi incommodo debitoris, v. gr. si debeat restituendo notabiliter decidere e statu suo iuste acquisito, aut in gravem necessitatem incidere, etc... Ratio est, quia tunc est vera impossibilitas restituendi; in moralibus enim dicitur impossibile, quod est valde difficile, et quod decenter et honeste fieri non potest. — Hinc si nobilis non potest restituere, nisi se privet famulis, equis, armis; vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; vel opifex, nisi vendat artis suae instrumenta, aut magnum damnum subeat, restitutionem differre potest, et debita paulatim solvere. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 117.

Excipiunt plures, si debitor culpabiliter, v. gr. ludis, crapulis, in talem necessitatem se coniecerit. — Ita Laymann, Lacroix, Busemb. cum *aliis*. Sed S. Lig. *Hom. apost.* n. 118. ait: *Hoc non obstante, si debitor e statu suo iuste acquisito casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Caeterum recte advertunt S. Ant., Sporer, Elbel, quod in tali casu semper tenetur debitor expensas diminueri, ut restituat saltem quod potest.*

(14) Doctores, qui hanc sententiam tenent, non restringunt onus restitutionis ad damna aliquo modo praevisionem, sed etiam ad fortuita (Vide Lugo disp. 21. n. 17.). Licet vero hanc sententiam et communior et probabilior dixerit S. Alphonsus

(lib. 3. n. 680.); non pauci tamen etiam oppositam censent probabilem (apud S. Alphonsum, l. c., et Croix lib. 3. p. 2. n. 252.): idque usui esse Confessariis poterit, ut difficultatem, nunquam non arduam, restituendi imminuant.